

sed Mandellum non refert, *tertia parte l. prima, ff. soluto matrimonio, num. 69.* sed in questione superiori, reddito instrumento, omne jus videtur translatum, quod in instrumento continetur, ut sepe dictum est: ergo male quidem donatione non presumunt Authores prædicti, qui contrariam sententiã defendunt; male etiam presumunt potius procuracionem, aut mandatum ad exigendum, quam donationem, cum non magis sit unum expressum, quam aliud, & sic potius præsumi debet donatio, cum de alio titulo nõ apparet, quoad jus contra tertium creditori competens ex Bertrando in *consil. 79. num. 8. & in consil. 4. ante num. 6. versiculo, & sic non videtur, lib. 3. & in consil. 213. sub num. 3. libro 7. aliã 8. Portio in consil. 36. columna finali, Alexander Raudensis de analogis, lib. 1. cap. 25. num. 63.* præterea, quia cum creditor simpliciter reddens instrumentum sui crediti, donare voluerit debitori jus contra illum sibi competens: sequitur quod etiam voluerit jus alterius debitoris donare, ne alioquin dicamus quod in eodem actu creditor habuerit animũ biformem, & varium, quod esset absurdum, ut in alio casu sic arguendo probavit Mandellus, in *consil. 560. num. 28. ubi num. 29. dicit ex hac solum conjectura, donationis titulum præsumi debere, ne etiam dicamus, quod una, & eadem res, & uno & eodem actu simpliciter facta, diverso jure censi debeat, contra text. in l. cum qui ades in fine, ff. de usucapionib. quam nonnulli exornant Abbas in *consil. 71. lib. 2. Tiraquellus in l. si unquam, C. de revocandis donationibus, in verbo, donatione largitus, num. 232. Menochius recuperanda possessionis, remedio 1. num. 36. 37. & 38. & in consil. 36. num. 38. lib. 1. Martinus Monter a Cueva decis. 5. Regni Aragon num. 79.**

29 Denique, nec urgent in contrarium text. in *dist. l.ultima, C. de pact. conventis tam super dote, &c.* quæ non recte contra Bartolum ponderatur, si animadvertamus, quod mulier interdum tres species bonorum habere dicitur, scilicet dotalia, extra dotem, & paraphernalia. Dotalia bona sunt, quæ expressim dotis nomine, & causa data fuerunt, quorum dominium, & administratio apud maritum residet constante matrimonio, intelligendo, ut plene explicavimus, *cap. 4. lib. 1. per totum.* Bona extra dotem sunt, quæ mulier apud se omnino retinet, nec dominium, nec administrationem viro cõcedit tacite, nec expresse, & in his nullum jus habet maritus. Bona denique Paraphernalia illa dicuntur, quæ mulier extra dotem in domum viri infert, quorũ dominium remanet apud ipsam mulierem; administratio vero est apud maritum *l. si ego, §. dotis, ff. de jure dotium, d. l.ultima, C. de pactis conventis, ubi sic explicarunt Glossa, & Doctores communiter, Guido Pap. quest. 468. col. 2. Baldus in consil. 478. Quædam sunt res, lib. 5. Alex. in consil. 42. num. 1. lib. 1. Socinus senior in consil. 82. num. 4. lib. 4. Chassaneus in Consuetudinibus Burgundie, rubrica 4. §. 24. Glos. Sont heritages, Antonius Gomezus in l. 50. Tauri num. 20. in versiculo, item adde. Bonifacius Rogerius in consil. 45. l. 1. Fortunius Garfia in l. 1. num. 44. ff. de justitia & jure. Quædam diversarum questionum juris cap. 14. num. 24. late Menochius l. 3. præsumptione 8. ex num. 1. cum sequentibus, & præsumptione 9. n. 1. & 2. & in consil. 56. ex num. 2. usque ad num. 10. lib. 1. Fabius Turretus in consil. 7. num. 26. lib. 1. Barbosa l. parte, l. prima, ff. soluto matrimonio, n. 28. in vers. ad veram tamen resolutionem, & est optima partitæ lex *l. 17. tit. 11. partitæ, l. si ego, §. dotis, & in dist. l. 17. partitæ, & fatentur Baldus in consil. 132. in fine, l. 4. Decius in consil. 521. num. 2. Lara in l. si quis a liberis, §. si quis ex his num. 236. ff. de liberis agnoscendis, Barbosa tertia parte l. prima, ff. soluto matrimonio, n. 67. in vers. & sic non potest. Unde eo ipse, quod mulier voluit, ut ea bona essent extra dotem; ipsa tamen, aut instrumenta eo-**

rum tradidit marito, vel in domum ejus intulit, eidem videtur committere custodiam, & administrationem illorum, & dare mandatum ad exigendum: non vero aliquam donationem facere, ut expressum in *d. l. si ego, §. dotis, & in d. l. 17. partitæ, & sic observant Bald. in eodem §. dotis, & in l. finali, C. de sententiis, quæ sine certa quantitate, n. 5. Aretinus in l. de his, col. 2. C. de furtis Anton. Gomez. in d. l. 50. Tauri num. 20. in vers. Secundo potest habere. Menochius lib. 3. d. præsumptione 9. n. 2. Barbosa prima parte d. l. prima, ff. solut. matrimonio num. 29. in versiculo, sed si paraphernalia simpliciter. Alciatus regula 1. præsumptione 33. num. 2. in vers. sed tu considera, qui recte advertit, in specie d. l. ultima, C. de pactis. conventis tam super dote, &c. plura concurrere, ex quibus mandatum ad exigendum præsumi debet, nec tenetur maritus agens cavere de rato; & sic casus illius textus longè differt a casu prædicto, in quo omnino præsumi debet donatio, ex dictis supra. Et hæcenus de bonis paraphernalibus, de quibus, & praxi quoad ea hodie observanda, latius, remissivè tamen actum videre poteris *lib. 1. de usufructu, cap. 4.**

CAPUT XXIV.

De Legato quantitatis in pecuniis relicto an præcisè in pecuniis solvi debeat, quamvis pecunia in hereditate non sit?

Legatum Quantitatis in pecuniis sic relicto: *Lego Titio centum, quæ in pecuniis, ei præstari jubeo, aut lego Titio centum in pecuniis, utrum præcisè in pecuniis solvi debeat, etiam si pecunia in hereditate non sit?* ubi Simonis de Prædis distinctio, & responsio adducitur, quæ verè Romani, & Jafonius consultationibus non probatur, ab Authore noviter refellitur, & res ista meliùs quam antea erat, explicata relinquatur. *Burfati consilium 84. per totum libro primo, commendatur, ubi plenè ac eruditè agitur de debitore, qui ex pacto bona stabilia loco pecuniarum tradere potest: quæ, inquam, & cujus qualitatis bona tradere possit, & qualiter se habere debeat, ut electionem tradendi, si pecunias non habeat, non amittat: deinde, utrum hæres cum beneficio legis, & inventarii, teneatur satisfacere legatariis, aut creditoribus pecuniarum in pecunia; quando hereditas est solvendo, etiam si quantitates pecuniæ simpliciter legata fuerit, nec in hereditate inveniatur pecunia: ubi tres precipuè recensentur Doctorum sententiæ quas nullus antea sic distinctè adduxerat: Jacobi de Aren. & Cini sententia probatur, argutè, & subtiliter corroboratur, multaque adnotantur per authorem, quæ hæcenus ab alio nec dicta fuerant nec forsitan excogitata. Denique agitur de legato certæ quantitatis pecuniæ sic relicto, ut ex bonis, aut substantia, vel patrimonio defuncti sit solvendum, ad invito legatario, in pecunia numerata solvi possit? & casus Azevedo occurrens, noviter declaratur per Authorem, & nonnulla dicuntur de materia *l. non amplius, §. cum bonorum, ff. de legatis primo.**

SUMMARIUM.

1 Hujus capituli disceptationem, utilem quidem esse

2 in judicium frequentem, nec ab aliquo hæcenus sic distinctè, aut absolute explicatam, ut longè majori, & latiori declaratione non indigeat.

2 Idcirco non absque maxima utilitate futurum judicasse Authorem, si congestis in unum, & breviter relatis his, quæ ad præsentem usque diem alii Authores in proposito tradiderunt additis etiam nonnullis, quæ, ut videbitur Lector, nullus antea sic dilucide explicaverat & vera; & notanda hujus rei resolutio tradatur.

3 Ut in futurum, quamplurima distinctè percipi valeant, quæ confuse quidem, & minus bene adnotaverant Scribentes in multis locis.

4 Pecuniarum certa quantitas cum legatur, veluti centum, aut quinquaginta, & jubet testator legatum in pecuniis solvi, veluti si dixerit: *Lego Titio centum, quæ in pecuniis illi præstari volo, aut lego Titio centum in pecuniis: utrum hæres præcisè teneatur legatum in pecuniis solvere, etiam si pecunia in hereditate non sit, & num. seq. usque ad num. 17.*

5 Ubi in primis refertur Simonis de Prædis in proposito casu distinctio, quæ Authori non placet & num. sequenti noviter & verè improbat.

6 Voluntas testatoris in relictis non totum facit, & omnino observanda est.

7 Testatoris verba, credendum non est, otiose, aut sine effectu prolata, sed potius sic debent intelligi, ut aliquid operentur.

8 Voluntas testatoris non observans, omni commodo ab illo proveniente, privari debet.

9 Pacto & conventionione contrahentium effici potest, ne sit locus beneficio Authent. hoc nisi debitor, C. de solutionibus, hoc est, ut debitor quantitatis, etsi careat pecuniis, non audiatur volens dare aliquid de bonis suis immobilibus in solutum creditori, quamvis alias pacto cessante possit ex illo textu.

10 Ergo multo magis effici poterit, voluntate, & dispositione testatoris in hæredem collata, quæ favorabilior est in jure.

11 Et circa personas honoratas omnimodo servanda est.

12 Testator enim, quem honoravit, & commodo hereditatis affectit, jure optimo sic onerare potuit.

13 Romanum in consilio 163. quem Prædis adducit, non loqui in terminis nostris: sed in diversis, aut contrariis quidem, prout hoc num. noviter, & verè adnotavit Authorem.

14 Debitor, qui ex pacto bona stabilia loco pecuniarum tradere potest, quæ, inquam, bona, & cujus qualitatis tradere possit, & qualiter se habere debeat, ut electionem tradendi, casu quo pecunias non habeat, non amittat, & ibidem de hac re commendatur Francisc. Burfat. consilium 84. per totum, volumine 1.

15 Jafonem in consilio 44. num. 7. volum. 1. non probare id, ad quod citavit eum Simon de Prædis, & ibidem questio proposita supra, num. 4. contra hæredem, & in favorem legatarii dissoluta.

16 Et Petri Sardi decisio 30. pro resolutione Authorem noviter ponderata, & ab eo sic explicata, ut in specie proposita ibi, juramentum non fuisse necessarium concludenti ratione probaverit.

17 Hæres cum beneficio legis, & inventari, utrum teneatur satisfacere legatariis pecuniarum in pecunia, cum legatum quantitatis simpliciter factum sit, nec plus adject testator, & num. sequentibus.

18 Et verè, attente prius, atque originaliter perlectis his, quæ alii hæcenus scripserunt, tres esse in proposito dubio opiniones.

19 Prima fuit opinio Bartoli, quæ & communior est, ut hoc. n. & sequent. demonstratur, ut si hereditas sit solvendo, nec venditio bonorum heredi in propriis bonis nomenclatum præstet quod hæres teneatur vendere, & solvere, vel aliter tradere ven-

denda: si autem potest ei nocere propter promissionem evictionis, tunc non cogitur vendere, sed sufficit dare bona in solutum, idque per text. sic intelligendum in l. finali, §. & si præfatam, in versiculo, sed et si legatarii, C. de jure deliberandi.

20 Alphonsus Azevedum nec distinctè, nec absolute questionem superiorem tractasse: fortassis hoc ideo, quod Burfatum, Prædis, Riminaldum, Surdum, & alios non prælegisset.

21 Contra communem resolutionem, de qua supra, n. 19. plurima obstat, quæ ab Authore adnotatur hoc num. & seq.

22 Inventarium non operatur, quin hæres voluntatem testatoris servare teneatur.

23 Tenetur enim hæres voluntatem defuncti adimplere, nec ei contravenire potest, quando aliquid ex hereditate percipit, licet Inventarium confecerit.

24 Secunda opinio refertur in questione proposita supra, num. 19. dicens, hæredem non cogi vendere ad solvendum legatariis, aut aliunde pecuniam querere, sed teneri dumtaxat bona hereditaria in solutum dare, juxta quantitatem legati taxata: idque in distinctè, sive damnum patiat, sive non, & etiam si emptores inveniat, vel non; in quo, ut vides, hæc secunda opinio distinguitur à prima.

25 Quæ originatè, & ante alios fuit Angeli; ut rectè expendunt Imola, & Alexander, Petrus Surdus expressim intelligit.

26 Sed vera non est, & concludenter hoc num. improbat.

27 Tertia in eodem dubio recensetur opinio, quæ & verior videtur Authori, & omnino amplectenda tenens hæredem cum beneficio legis, & inventarii, teneri satisfacere legatariis, & creditoribus pecuniarum in pecunia, quando hereditas est solvendo, etiam si quantitas pecuniæ simpliciter legata fuerit, nec in hereditate inveniatur pecunia, & num. seq.

28 Ubi in primis advertit Authorem, in quo differat superior opinio à prima, & secunda, de quibus supra, num. 19. & 24.

29 Deinde adducit pro ea fundamenta nonnulla, quæ multum concludunt, & num. seq.

30 Text. in l. si pecunia, 12. ff. de legatis secundo, utrum corrigatur hodie ex decisione l.ultima, §. et si præfatam, C. de jure deliberandi: & de intellectu illius textus, & infra, num. 36. & 37.

31 Distinctio, sed & ponit diversitatem in facto, non autem in jure, sed identitatem.

32 Pro opinione superiori duplex fundamentum expenditur, & n. seq.

33 Inventarium, non ob aliam causam introductum à lege dicitur quam ut tollatur occasio committenda fraudis ab hærede, ne scilicet valeat occultare bona hereditatis.

34 Item, ne hæres teneatur creditoribus ultra vires hereditarias ex propriis bonis.

35 Non autem in injuriam, aut damnum creditorum; ut aliud pro alio solvi possit.

36 Superiorem opinionem, quam cum aliis defendit Authorem, omnino teneendam esse, & in praxi servandam, utpote in d. l. si pecunia, probatam, & in d. §. et si præfatam, non correctam.

37 Nam ut diximus, text. ille dumtaxat procedit, quando hereditas solvendo non est, quo casu distinguitur, an hæres vendendo, damnum patiat, necne: id est an sine onere evictionis vendere possit necne; nam ubi hereditas est solvendo, indistinctè hæres debet satisfacere in pecunia: quod Roland. & Riminald. rectè probaverunt.

38 Hereditas cum solvendo est, & legatum quantitatis pecuniæ relinquatur, nihil interesse, an hæres inveniat emptores, vel non: nam indistinctè: sive inveniat, sive non inveniat, debet legatariis in pecunia solvere, etiam si pecunia in hereditate non sit.

- 39 Nihil etiam interesse, quod inveniat emptores, qui tamen iustum pretium non offerant; nam cum in eius voluntate positum sit non vendere, & tantum teneatur pecunias dare legatariis, non autem minori pretio vendere, potest res hereditarias sibi, vel alio tempore vendendas servare, & de suo solvere, vel aliunde querere, juxta rationem d. l. si pecunia, ff. de legatis secundo.
- 40 Nec etiam interesse, quod hæres vendens aliquid pro satisfaciendis legatariis, ita demum emptores inveniat, si ipse de suo pro evictione promittat, nec hoc esse damnum considerabile, ut hoc num. explicatur; communis Doctorum sententia improbat, ac Ludovici Molinae à Societate Jesu Religiosi adnotatio quadam probatur.
- 41 Hæres ut cogatur vendere bona hereditaria pro satisfaciendis legatariis pecuniarum in pecunia, quando in hereditate pecunia non est, tria concurrere debent ex communi sententia, quæ jure subsistere non possunt, nisi intelligendo ea, prout hoc num. & novè, & verè explicavit Author.
- 42 Hæres cum beneficio legis, & inventarii, cum hereditas solvendo est, & legatum quantitatis pecunia relinquitur, non potest legatariis in totis, tot nomina debitorum hereditariorum assignare, absque eo quod ipse teneatur ea exigere, prout hoc num. contra Jason. & Roland. novè, sed verè quidem defenditur, & num. seq.
- 43 Ubi Author verè adnotavit, Rolandum in proposito casu minus aequè putasse, attendendum esse, ne hæres litibus vexetur, & expensis: & contrarium aequius esse, ut hoc loco demonstratur.
- 44 Hæredem cum beneficio legis, & inventarii, si hereditas solvendo fuerit, etiam si pecunia in hereditate non sit, teneri præcisè mulieri dotem suam repetenti in pecunia solvere, cum pecunia debetur, nec posse in solutum dare tot bona hereditaria, ut hoc num. contra Alciatum, Phanucium, & Surdum noviter, sed concludenter defendit Author.
- 45 Testator si legaverit Titio, aut Scio certam pecuniam quantitatem de bonis, & substantia ipsius, vel de bonis suis, invito legatario non potest fieri solutio legati in pecunia numerata; sed fieri debet in bonis hereditariis testatoris ad electionem legatarii, arbitrio tamen boni viri secundum communem estimationem, ut hoc num. latius explicatur remissivè, & casus in facto contingens, & per Azevedium adductus declaratur.
- 46 Bonorum pars cum legatur, licet hæc sit in obligatione; hæredi tamen succurritur, ut ipse eligat, sive rerum partes, sive estimationem dare maluerit, sic ut utrumque dicatur esse in solutione, licet unum tantum in obligatione sit: in his tamen rebus partem dare hæredi conceditur, quæ sine damno dividi possunt.
- 47 Quod si res naturaliter indivise sunt, vel sine damno divisio earum fieri non potest, estimatio ab hærede omnino præstanda est.
- 48 Idque de jure communi per text. in l. non amplius, 26. §. cum bonorum, ff. de legatis l. qui corrigitur hodie ex decisione l. 20. Tauri, prout hoc numero latius explicatum ab aliis traditur, remissivè.
- 49 Quota bonorum hæredi extraneo prælegata, utrum solvi debeat in pecunia, an in ipsis rebus hereditariis, & de contrarietate Tellii, Fernand. & Anton. Gomezii remissivè.

1 Utilis quidem est, & in judiciis frequens hujus Capituli disceptatio, nec ab aliquo hætenus sic absolute, aut distinctè explicata, ut longè majori, & latiori declaratione non indigeat: Idcirco non absque maxima utilitate futurum judicavi, si congestis in unum, & breviter relatis his, quæ ad presentem usq;

diem alii Authores in proposito tradiderunt, additis etiam nonnullis, quæ, ut videbis Lector, nullus antea sic dilucidè explicaverat, & vera, & notanda hujusce rei resolutio tradatur, ut in futurum quamplurima distinctè percipi valeant, quæ confuse quidem, & minus benè adnotaverant Scribentes in multis locis.

Et ad rem deveniendo, in primis constituo, dubium esse, cum legatur certa quantitas pecuniarum, veluti centum, aut quinquaginta, & jubet testator legatum in pecuniis solvi: veluti si dixerit: *Lego Titio centum, quæ in pecuniis ei præstari volo*, aut *lego Titio centum in pecuniis*: utrum hæres præcisè teneatur legatum in pecuniis solvere, etiam si pecunia in hereditate non sit. Quam questionem, ex omnibus quos adhuc viderim, solum Simon de Præcis exciavit in terminis, de interpretatione ultimarum voluntatum, lib. 5. dubitatione ultima, num. 37. folio 583. ubi dicit, quod cum legatum est quantitatis ex testatoris mandato, si non possit solvi pecunia, pro eo dari debent tot bona immobilia; ita tamen, quod hæres prius debeat probare, se non posse solvere in pecunia numerata, alias jusus per testatorem in pecunia solvere, non debet admitti offerendo tot bona immobilia, nisi prius probaverit: cessante tamen mandato testatoris, hæres si non habet pecuniam, ut quilibet debitor offerendo de melioribus bonis auditur, per text. in *Authent. hoc nisi debitor*, C. de solutionibus, idque ex sententia prædicti Authoris, qui, ut vides, dumtaxat insitit in hoc, quod mandatum tantum efficiat, ut oblatio bonorum sit inefficax, nisi hæres prius probaverit, se non posse solvere in pecunia numerata; non tamen ut hæres præcisè compellatur in pecuniis solvere, cum pecunia in hereditate non est. Quod quidem nullo pacto placere potest, quippe cum etiam realiter facta probatione prædicta, adhuc existimem verius, compellendum hæredem in pecuniis solvere, modò hereditas solvendo sit. Et ad id dicendum sequentibus moveor rationibus. In primis ex text. in l. si pecunia, ff. de legatis 2. per quem in fortioribus terminis, nempe quando simpliciter est factum legatum quantitatis, aut pecuniarum: quod hæres teneatur in pecunia solvere, si hereditas solvendo sit, nec possit in bonis solvere, etiam si pecunia in hereditate non fuerit, probabimus infra, numeris sequentibus.

Secundo, quoniam certum est, quod voluntas testatoris in testamentis totum facit, & omnino observanda est, ut inquit textus in l. fideicommissa, §. item si quis. & in l. quisquis, ff. de legatis tertio, l. ex facto, ff. de hereditibus instituendis, & cum aliis multis latissime probarunt Mantica de conjecturis ultimarum voluntatum lib. 3. tit. 3. per totum. Petrus Antonius de Petra de fideicommissis, quest. 9. per totam Petrus Magdalenus de numero testium in testamentis requisito, prima part. cap. 8. ex num. 6. Marcus Antonius Peregrinus de fideicommissis, articul. 11. ex num. 1. cum sequentibus, folio 86. Sed in proposita specie voluntas testatoris est expressa, & quidem verba superius proposita superflua essent, aut verè nihil operarentur, nisi hæres in pecuniis solvere teneretur: ergo in pecunia debeat legatario solvere, ne aliàs verba prædicta, ociosè, ac sine effectu prolata fuisset videantur, quod credendum non est, sed potius sic intelligi debeant, ut aliquid operentur, juxta doctrinam text. in l. si quando ff. de legatis 1. quam multis exorant Mieres de majoratu, 1. part. quest. 60. a num. 5. Simon de Præcis de interpretatione ultimarum voluntatum, lib. 2. interpretatione 3. dubitatione 2. solutione 5. a principio, cum multis numeris sequentibus, folio 260. Achill. Pedrocha in consilio 40. ex num. 333. usque ad num. 339. aliàs privari debet omni commodo ab illo proveniente, tanquam voluntatem testatoris non observans, ex Parisio in consil. 19. num. 52. 55. & sequentibus, lib. 2. Rolando in consil. 70. num. 62. & 63. lib. 3. Mantica de conjecturis ultimarum voluntatum, lib. 3. tit. 3. numero 5.

Tertio

- 9 Tertio facit, nam pacto & conventionem contrahentium effici potest, ne sit locus beneficio *Authent. hoc nisi debitor*, C. de solutionibus, hoc est, ut debitor quantitatis, etsi careat pecuniis, non audiat volens dare aliquid de bonis suis immobilibus in solutum creditori, quanvis aliàs pacto cessante posset ex illo textu. Quod cum Alexandr. Ripa, Ferrar. & Baetio, rectè defendit Joannes Gutierrez de juramento confirmatorio, prima part. cap. 292. n. 3. & 4. Ergo multò magis effici poterit, voluntate & dispositione testatoris in hæredem collata, quæ favorabilior judicatur jure, l. in testamentis, cum aliis multis vulgaris, ff. de regulis juris, & circa personas honoratas, omnimodò servanda est, ut cum aliis multis scribit Marcus Antonius Peregrinus de fideicommissis, articul. 11. num. 17. & 58. quem enim honoravit testator, & commodo hereditatis affectu, jure optimo sic onerare potuit per text. in l. ab eo, C. de fideicommissis, & alia, quæ tradiderunt Guillel. Bened. in c. Rainuntius, de testamentis, verbo, si absque liberis, el segando, tractatu de fideicommissaria substituit, num. 25. 26. & 27. & num. 31. & sequentibus, & n. 57. usque ad num. 62. Cephalus in consilio 465. num. 32. lib. 4. Achilles Pedrocha in consilio 23. num. 59. nec de voluntate testatoris dubitari potest in casu prædicto, cum expressa sit, nec verbum illud *pecuniis* alium admittit sensum, idque concludentibus, atque inevitabili ratione, quæ à verisimilitudine deducitur; verisimile, inquam, esse, scire testatorem pecunias se hereditate, aut patrimonio suo non relinquere, & adhuc præstari legatù in pecuniis dixisse, quod evidentem ipsius voluntatem ostendit. De potestate etiam dubitari non valet ex rationibus adductis supra, quæ verè concludunt, etiam nullis numeris relictis, hæredem sic gravari potuisse.
- Quarto & ultimo facit, quod auctoritates Doctorum, quas ipse Præcis adducit, nequaquã probant ejus Assumptum. Nam in primis Romanis in consil. 163. ab eodem Præcis relatus non loquitur in illis terminis, sed in aliis longè diversis, aut contrariis quidem, hoc est in debitor, qui ex pacto solvere potest immobilia loco pecuniarum, si pecunias solvere non possit; Et contendit in casu ibi proposito, hujusmodi debitorem electionem admittere, vel quod bonorum oblationem tempore debito non fecerit, vel quod non probaverit, bona oblata fuisse in ejusdem dominio, jura & instrumenta actoribus credituribus ostendendo: in quem sensum Romanum ipsum retulit Bursatus in consil. 84. num. 5. in fine, lib. 1. ubi in proposito multa dicit utilia, & necessaria, & per tot. consil. agit de debitor, qui ex pacto bona stabilia loco pecuniarum tradere potest: quæ, inquam, bona, & cujus qualitates tradere possit, & qualiter se habere debeat, ut electionem tradendi, casu quo pecunias non habeat, non admittat, ut ibi videri poterit, cum occasio se offeret, & melius forsitan, quam alibi.
- Deinde Jason in consil. 44. num. septimo, volum. 1. in eisdem terminis loquitur, & ejusdem Romani mentionem faciens, probare contendit, in casu ibi relato, oblationem non valere, eo quod illegitima, fuit, nec probatù de impotentia solvendi in pecunia numerata, quod heredes facere debebant, quia erat fundamentum suæ intentionis, eo quod Antonotus testator filiabus, & cui libet earum pro dote reliquit florenos ducentum, & ordinavit, quod in quantum hæres suos prædictos florenos ducentum non solveret, vel solvere non posset, quod teneatur ipse filia accipere in solutum tot ex bonis immobilibus. Verè igitur in utroque casu & Romani, & Jasonis, datà impotentia solvendi in pecunia numerata, concessum est debitori, & hæredi tot ex bonis in solutum dare: quod in specie à me proposita non contingit; in ea namque, nihil in voluntate, aut in electione heredis relinquitur, imò certam quantitatem, aut summam in pecuniis dare gravatur, nec in casu impotentia solvendi in pecunia numerata, aliquid statuitur, idcirco hæres necessariò tenetur in pecuniis solvere, si hæredi

tas solvendo fuerit, & hoc damnum pati debet, qui universum commodum hereditatis sentit. Et hætenus de his, quæ, ut vides, non erant antea sic explicata, & intelligi debent, ut procedant, etiam cum hæres fecerit inventarium juridicū & solemne: in quibus terminis loquitur expressim; & sic resolvit Petrus Surdus decisione 30. ex n. 9. & vide etiam ex n. 1. ubi dicit, quod juravit in suo testamento Domina Eleonora Calandra, se promississe Domino Bartholomæo Boneto viro suo libras quindecim mille in dotem, atque ita illas cedè legavit solvendas in pecunia, & non in alia re; & pronuntiatum fuisse solutionem fieri debere in pecunia, non in rebus, quia relictum factum est in pecunia, & non potest aliud pro alio solvi creditori invito ut latius probat ibidem, sed non ita latè, ut superius probavi, aliisque, & diversis rationibus fundans, nec Præcis mentionem faciens: Unde & libenter ego addiderim juramentum in specie ibi proposita nihil augere (quamvis eo etià juvabatur Surdus) idem enim dicendum esset ex resolutione supra & dicendis infra, etiam si juramentum non præcessisset; sufficiebat enim expressum testatoris mandatum de libris in pecunia solvendis, & non in alia re, & esse solvendo hereditatem, quamvis nullum aliud interveniret.

Secundo & principaliter, cõstitutio, majus dubium esse, cum legatum quantitatis pecuniæ factum fuit simpliciter, nec expressit testator quod in pecuniis solveretur, five nihil aliud adjecit, sed quantitatem aliquam simpliciter reliquit, utrum in hac specie hæres cum beneficio legis, & inventarii teneatur satisfacere legatariis pecuniarum in pecunia? Et verè, attentè prius, atque originaliter prælectis his, quæ alii hætenus scripserunt, tres sunt in proposito dubio opiniones:

Prima opinio fuit Bartoli, quod si hereditas est solvendo, nec venditio bonorum hæredi in propriis bonis nocumentum præstet, quod tenetur vendere, & solvere, vel aliter tradere vendenda: si autem potest ei nocere propter promissionem evictionis, tunc non cogitur vendere, sed sufficit dare bona insolutum, idque per text. sic intelligendum in l. finali, §. est præfatam, in versiculo, sed est legatarii, C. de jure deliberandi, ubi in hunc modum scribitur: *Sed est legatarii inter ea venerint, eis satisfaciunt ex hereditate defuncti, vel ex ipsis rebus, vel earum forsitam venditione.* Et Bartolus ibidem, num. 3. sic adnotavit, & in effectu distinguit, quod cum hæres reperit emptorè, qui velit emere ab eo tanquam ab hærede pro satisfaciendis legatis, & debitis, absque aliqua obligatione propria de evictione; & tunc cogitur vendere, quia ex hoc nullum damnum patitur, & regula subest, quod aliud pro alio, invito creditore solvi non potest: Aut verò non reperit emptorè, & tunc potest satisfacere de rebus, quia vendendo posset incurere damnum, idemque si inveniat emptorè, sed petatur ab eo, quod se obliget de evictione, quia etiam posset pati damnum: & Bartoli sententiam sequuntur Baldus ibidem, n. 1. ubi consulit, quod hæres, ut effugiat omne periculum, dicat creditoribus: *Vendite vos, & ego cõsentio, & pro tector non teneri de evictione, per text. in l. quamvis, ff. de pignoratitia actione, Salicetus etiam n. 2. Alexander n. 10. Comensis in versic. ex mente Doctorum, Castrensis num. 5. Corneus colum. 2. & Jason n. 1. in versic. Quarta utilitas, ubi dicit, hæredem non teneri vendere bona, quando pecunia non est in hereditate, etiam si inveniat emptores, quando illi nolunt emere, nisi hæres se obliget de evictione; & per hoc inferri unum novum, quod forte tactu in specie non inveniemus, ut ipse credit, quod qui fecit inventarium solvendis, potest creditori invito assignare tot nomina debitorum in solutum, nec hæres tenetur ea exigere, idque per text. in d. §. est præfatam, in versic. sed est legatarii, in d. cõcedo eum prout ipse Jason inducit, qui cum superiori resolutione comuni transit etiam in l. 2. in §. mutui datio, n. 9. ff. si certum petatur, ubi dicit id procedere, etiam nulla subsistente necessitate, ut scilicet possit hæres cum beneficio inventarii sol-*

vere